CHRISTIANORVM FASTORVM DISTICHA.

AB

Alberto Solikowski à Solki, collecta: in ordinem digesta: sæpiùs perdiligenter reuisa, & sub incudem, nunc primùm data.



CRACOVIÆ, In Officina Iac. Sibeneycher
Anno Dñi 1602.

IN INSIGNIA
Illmi ac Reuermi Dñi D. Bernardi
Macieiowski, Epiſcopi Cracouienſis.



Gratum animal Vitulus, dominum paſcitq́ʒ hilaratq́ʒ,
Et Chriſti typus, & victima grata fuit.
Tu quoq́ʒ fers cunctis Macieioui gaudia, aliſq́ʒ
Munificus manibus, cœnobia atq; inopes.
Plaudit nunc pietas, exultant templa ſcholæq́ʒ:
Hæreſis vna gemit, ſe latebriſq́ʒ tegit.

A. S.

Illmo & Reuermo in Christo Patri & Domino

D. BERNARDO MACIEIOWSKI, DEI ET S. SEDIS Apostolicæ Gratia Episcopo Cracovieñ, Duci Seuerieñ &c. &c. Dño & Patrono obseruandissimo.

ALBERTVS SOLIKOWSKI A SOLKI *&* *in* OSTROW.
Salutem & deditißima obsequia.

NEMINEM FEFELLIT OPInio ac expectatio, quam optimus quisq; de Illma Cels. Tua concipiebat Illme & Reume Dñe. In omnium enim oculis versatur, & omnium literis atq; sermonibus celebratur, singularis eius pietas, sanctimonia, atq; vigilantia: quas, vt & alias virtutes; vt olim in Episcopatu Luceorieñ, & in omnibus actionibus suis; tam domi, quàm peregrè: tam publicè quàm priuatim: cum summa laude, atq; admiratione omnium, asiduè exercuit, ita nunc; in hac, Cracouieñ. Pontificatus, sede celeberrima: præclarè auget, ornat atq; tuetur. Quare cùm alii certatim, varia suæ, erga Illam Cels. Tuam, edant optimæ voluntatis specimina atq; argumenta: neque mihi quicquàm prius antiquiusque fuit; quàm aliquo officii & scriptionis gñe, meam obseruantiam illi testificari. Verùm, cùm ab omnibus

rebus imparatus essem, neque in mea curta suppellectili, aliquid dignum Illma Cels. Tua reperirem; eius, qui Ill^{mam} D. Vrãm singulari amore prosequitur, quique se ab ea multùm amari gaudet; Ill^{mi} inquam ac Rñd^{mi} Dñi ac Patrui mei, benigni^{mi} D. IOANNIS DEM. SOLIKOWSKI, ARCHIEPISCOPI LEOP. pias sententias carmine redditas, quas subsecivis horis, animi causa fundebat & dictabat, (quæ Disticha Fastorum Christianorũ appellari possunt) Ill^{mæ} Cels. Tuæ offero atque dedico: simulq; me, in eius patrociniũ atque obsequia trado. Quæ enim Sancto Antistiti magis conuenire possunt munera, quàm quæ gloriam Dei amplificant, Sanctos eius celebrant, ac virtutum Christianarũ semina, in animos hominum instillant? Accipiat itaq; Illma Cels. Tua grato animo, hoc studium meum: Quam, vt DEVS Ter Max. in hoc stadio Pontificalis muneris, strenuè & prosperè procedentem, diutissimè conseruet ac tueatur; Diuinã eius clementiam, assiduè precor atq; oro. Crac. Nonis Nouemb. M.DC.II.

CHRI-

CHRISTIANORVM FASTORVM Disticha.

I. D. S. A. L.

Aduentus Domini.

ADuentum Domini, si non meditemur amantes:
Tempore iudicii, quod timeamus, erit.

In idem.

Quattuor aduentus Domini: qui in Virginis aluum:
In mentem: mortem: iudiciją́; diem.

Idem.

Qui duo sunt primi; vero hos complectere amore:
Qui duo posteriùs, cautus vtrúmq; time.

Idem.

Horam felicem; quæ nos somno excitat alto,
Carpendúmq; monet, fida, salutis iter.

Idem.

Surgite, qui somno scelerum mortisą́; sepulti
Stertitis: en felix hora salutis adest.

Idem.

Surgite, dum tempus breue vos iuuat: ite vocantem
Post Christum: nullum postea tempus erit.

Idem.

Ecce iterum dominus venit, ecce parata volenti est
Gratia: tolle caput, crimine merse miser.

Idem.

Imus in occursum Domini venientis, ad ima
Ex summis: Doctor, summa petamus, ait.

Dominica I. Aduentus. Lucæ 21.

Sydereas moles, conuersio summa sequetur,
Iudice terrificum constituente forum.

Dominica II. Aduentus. Math. 7.

Vinctus Ioannes per missos dum rogat, an sit
Christus: discipulos hoc, populúmq; docet.

Aliud.

Cœlestem digito monstrauit quem priùs agnum,
Clariùs hunc moriens, dum rogat, ecce docet.

Aliud.

Cùm cæcos, claudos, leprosos, aure carentes,
Et vita, sanet Christus; an haud Deus est?

D. Ioannis Encomium.

Quem Christus laudat, verè laudabilis ille est:
Qui laudes hominum captat, inanis erit.

Dominica III. Aduentus. Ioan: 1.

Ioannis responsio.

Non

Non sum ego Chrūs, ait, nec Helias, nonq; prophetes:
Sed vox clamantis missa, parare vias.

Idem.

Sum seruus Christi, quem vos Christum esse putatis,
Præco eius, post me qui venit, at prior est.

Idem.

Quem natu præeo, præit is mihi, & omnibus æuis;
Corpore me sequitur, sed Deitate præit.

Ad Ioannem.

Ioannes, quantò cunctis mortalibus ortu
Maior es, tantò mitior & melior.

Ad eundem.

Vna tibi tantum è cunctis prælata puellis,
Quæ genitrix Domini Virgo; Beate, tui est.

In Septem Antiphonas O dictas, quæ XVII die Decemb. incipiunt.

O septem, quare prudens Ecclesia pOnit?
Ob sOlennem Ortum, O SOl benedicte, tuum.

QVATVOR TEMPORA in Decembre.

Feria IV. Lucæ 1.

Cœlitus ad Mariam, demittitur Angelus, almam;
Concipit & virgo protinus ipsa Deum.

Feria VI. Lucæ 1.

Aucta

Aucta nouo fœtu, Iudæ montana subintrat,
Cognatámq;, nouâ virgo salute beat.

Sabbato. Lucæ 3.

Romani imperij sceptro, Iudæa subacta:
Tetrarchis cessit quattuor illa statim.

Missio Ioannis.

Vox tua Ioannes, populis Iordanis ad vndas
Insonat, vt vigilent aduenientc Deo.

In seruitia horum temporum.

Nunc domini quærunt famulos, stipendia soluunt:
Nunc quoq; nos, famulis asere Christe tuis.

Ad Deum.

O vtinam, tibi nos in tempora cuncta dicemus,
Instemusq; tuis, ô Deus, obsequijs.

Dominica IV. Aduentus Domini. Lucæ 3.

Ioannes, quà venturâ fugiamus ab irâ,
Fructibus hoc dignis, nempe parare docet.

Dominica infra octauas Natalis Domini.

Clarior en de te, loquitur iam fama per orbem,
Cunctorum curam, sedula mater habet.

Vltimus dies anni.

Vltima præteriti lux hæc, Deus, effluit anni;
Anno pro exacto, gratia magna tibi.

Domi-

Dominica infra octa: Epiph: Lucæ 2.

Si genitrix, natum in templo sibi repperit vnum:
Est miser, hunc alibi qui reperire volet.

Dominicæ post Epiphaniam.

Dominica II. Ioan. 2.

Pauperibus sponsis Christus benedixit, & vndas
In vinum vertit, pauperiémq; tulit.

De pauperum coniugiis.

Pauperiem fugito, vxorem qui ducere tentas:
Ni rixas, lacrymas ferre, odiúmq; voles.

Consilium.

Tollere vis rixas, irati sæpè mariti:
Pelle inopem vitam, nupta, labore graui.

Adhuc in ociosos.

Non benè succurrit Christus: nec ab æthere manat:
Quando laborantûm est desidiosa manus.

Deo opus est ad bonum coniugium.

Absq; Dei nutu, qui vincla iugalia quærunt:
His vinum in lymphas, vertere pœna solet.

Dñica III. post Epiphan. Math: 8.

Centurio seruum curat: lepra ægra fugatur:
Sana socrus Petri est, corpore dæmon abit.

De morbis animæ.

Oderunt morbos multi, ſed crimina pauci:
Maiorem at morbum pectore, crimen habet.

In idem.

Noſcamus lepras animi, morboſq́; frequentes,
Ad medicum poſitis, & iuuet ire, moris.

Dominica IV. poſt Epiph. Math. 8.

Surge orbis rector, tempeſtateſq; ſerena:
Orbis in occaſum machina tota ruit.

In idem.

Chriſte, tibi imperium in ventos fluctuſq; feroces,
Compeſce edicto, poſcimus, illa tuo.

In idem.

Mirantur cuncti, pelagi quòd murmura ceſſant,
Et parent, iuſsis Maxime Chriſte tuis.

Dominica V. poſt Epiph. Math. 13.

Semen, quod Chriſtus ſanctum ſemel intulit orbi:
Callidus huic lolium, miſcet vbiq; Sathan.

Diuiſio finalis tritici & zizaniorum.

Tempus erit, fruges quo condet in horrea meſſor:
In flammas lolium faſcibus inijciet.

Dominica VI. poſt Epiph. Math: 13.

Quod minimum eſt olerum, fit creſcēs arboris inſtar
Paſtæ: & fermentum, myſtica ſenſa notat.

In idem

In idem.

Quod facit atq; docet Christus, paruum esse videtur:
Qui capit, in magnum postea crescet opus.

Tria sata farinæ.

Fermenti mulier miscet sata terna farinæ,
Fermenti ingenium, quæ redolere solent.

Explicat.

Cordi infusa fides, spes, & dilectio vera,
Motibus humanis, vim dat habere nouam.

Dominica Septuagesimæ. Gen. 1. Adam.

Maximus, è nihilo verbo tamen omnia condit,
Conditor, atq; statim machina tanta stetit.

Sex dies.

Sex, opus hoc mundi Dominum fabricâsse, diebus,
Constat: quem vnquam sit deseruisse pudor.

Vir & mulier vnde.

Vir tellure satus; mulier sed carne virili,
Ecce patrem tamen hæc decipit atq; virum.

Horæ Euangelicæ. Mat. 20.

Hîc pater æternus, vocat horis omnibus omnes,
Vt sua sic fructus, vinea culta ferat.

Dominica Sexagesimæ. Gēn. 5. Nohe.

Obruitur tellus vndis, tenet omnia pontus,
Nohe at seruatur naue, docente Deo.

Fœdus Dei cum homine.

Seruas venturi, pater optime, semina secli,
Et faciunt, certam fœdera firma fidem.

Semen verbi Dei.

Pectore Christe meo, lapides, tribulosq́ʒ, viamq́ʒ
Aufer, & in terram me rogo verte bonam.

In idem.

Fac priùs esse bonam terram me, hinc semina mitte
Christe in eam, si me quid cupis esse boni.

Dñica Quinquagesimæ. Gen. 12. Abraam.

Egrederis terrâ propriâ, Abram: gente domoq́ʒ;
Voce Dei, sedes quærere iusse nouas.

Ad Abraam.

Cùm te, cùm Saram, cùm nati mente peragro
Fata: Abraam, miris te colo, magne, modis.

Ad eundem.

Nempe Deum, iuxta sapientûm dicta, secutus:
Sic nobis, fidei das monimenta tuæ.

Paßionem suam Christus prædicit. Luc. 18.

Paßio, discipulis sibi sit quàm dira futura,
Prædicit Dominus: nescia turba gemit.

De cæco, pòst illuminato.

De morte vt propriâ dixit: dat lumina cæco,
Surgere posse illum, ne dubitare queant.

In idem

In idem.

Traditus occumbam Solimis, dira omnia passus,
Credite sed, vobis quòd rediuiuus ero.

In ludos Bacchanales.

Non domino cœli tu illudis, perfide lusor,
Dum faciem obnubit, sordida larua, tuam.

Dies Quadragesimæ.

Feria IV. Cinerum. Mat: 6.

Cernite mortales, nihilum quòd vt ante fuistis,
Sic eritis: medio est crux, labor, atq; dolor.

Feria V. Puer Centurionis. Mat. 8.

Centurio hic, puero vitam impetrat, omine fausto;
Felix, qui & laudem repperit, ante Deum.

Feria VI. Hypocrisis. Mat. 5.

Displicet hoc Domino, non esse & velle videri:
Syncerè & verè, qui facit, ille placet.

Sabbato. Nauis fluctuat. Mat: 6.

Fluctuat in pelago, nauis quassata procellis,
Fide Deo Christo, mox benè tutus eris.

Dominica I. Quadragesimæ, dicta Inuocauit.
Ieiunium Christi. Mat. 4.

Virginis insidias nato, draco dirus, vt ante
Struxit; at in cassum: sic facit ille pijs.

Feria II. Iudicium extremum. Mat. 25.

Iudicium Christi horrendum, cùm terra videbit:
Pœnas pro merito, & præmia quisq; feret.

Feria III. Domus orationis. Mat. 21.

Ingressus templum dominus, quæ indigna fuêre
Templo, acri zelo percitus, inde abigit.

Feria IV. Quatuor temp: Signum. Mat. 12.

Turba procax signum quærit: sed mente fideli,
Qui credunt Christo, signa videre queunt.

Feria V. Cananæa. Mat. 15.

Obtinet hîc natæ, mulier Cananæa, salutem,
Firma fides quid non impetret, anne vides?

In eandem.

Rectè agis ô mulier perstans, bis teruè repulsa,
Et micis Domini pasta catella redis.

Feria VI. Quatuor temp. Ioan. 5.
Probatica piscina.

Porticibus quinq;, est Domini piscina parata,
Æger & immundus quisquis es, ingredere.

Sabbato Quatuor tem: Transfiguratio Christi.
Math: 17.

Cœlestis patris hic natus, celebratus ab alto;
Vt Deus apparet, qui moriturus erat.

Dominica II. Quadrages: Isaac cum Iacob. Mat: 17.
Etiam Transfiguratio.

Vidistis

Vidiſtis ſpeciem, vocemq́; audiſtis Olympo,
Moſes, & Helia, Petre, Iacobe, Iane.

In idem.

Quinq; Deo Chriſto teſtes, in monte fuerunt,
Vt credas: licèt hic in cruce fixus erat.

Idem.

Bis repetita placent, quæ ſunt myſteria ſummæ
Gloriæ: & æterni plena magiſterij.

Feria II. Chriſtus principium. Ioan. 8.

Principium eſt, & qui loquitur ſub origine mundi
Omnibus ex alto, Chriſtus homo atq; Deus.

Feria III. Cathedra Moyſis. Mat. 23.

Qui vitam ſpectas, & non præcepta regentis,
Es reus: ecce humili, gratia magna venit.

Feria IV. Filii Zebedæi. Mat. 20.

Hoc crucis eſt tempus mortis, non tempus honoris,
Eſt honor in cœlis, terra laboris ager.

Feria V. Diues & Lazarus pauper. Lucæ 16.

Qui fuit in mundo diues, cruciatur in orco:
Qui miſer in mundo eſt, hunc tenet aula poli.

Feria VI. Patientia & Iuſtitia Dei. Mat. 21.

Longa Dei pietas in iuſtum verſa furorem.
Æterno tandem corrigit igne malos.

Sabbato Filius prodigus ad Chriſtum. Lucæ 15.

Si nil

Si nil plus faceres, nisi quòd præcepta dedisti,
Doctrinasq; sacras; est bone Christe satis.

In filium perditum.

Si pudet in mundo, porcorum cum grege pasci:
O miser ad placidum quære redire patrem.

Dñica III. Quadr. Dæmoniũ mutũ. Luc. 11. Ioseph.

Obsessus, cœcus, surdusq;, carensq; loquela
Sanatur: carpit perfida turba Deum.

Mulier Christo benedicens.

Turba prophana Deo maledicit: at ecce refutans
E turba mulier, mox benedicit ei.

Feria II. Conatus malorum. Lucæ 4.

Colloquij praui scopus est, eiectio Christi:
Per medium is, sed non præcipitandus abis.

Feria III. Dilectio. Mat. 18.

Fratribus offensas animo donare lubenti,
Alteriusq; bonum, quærere Christe iubes.

Feria IV. Præcepta hominum. Mat. 15.

Frustra sunt præcepta hominum, sine numine summo:
Nam res, non species præcipit ipse Deus.

In idem.

Virtus est operis precium, ac intentio cordis:
Nam sine corde, Deo nil placet exterius.

Feria V. Curatio. Lucæ 4.

Languo-

Languores nostros curas, pie Christe, repente,
Saluifico verbo, mirificus medicus.

In idem.

Sabbata non violat, benè qui faciendo laborat
Proximo: at is violat, qui haud miseratur eum.

Feria VI. Aqua viua. Ioan. 4.

Fortis & infirmus dominus spectatur Iesus:
Compatere infirmo, quære potentis opem.

Ad Christum.

Tu salientis aquæ fons es, dulcissime Iesu,
Fac vt te gustem, & da rogo semper amem.

Sabbato. Adultera absoluta. Ioan. 8.

Libera decreto Christi est quòd, adultera coniunx,
Hinc lapsus defle & corrige quæso tuos.

Scriptura terræ.

Scribe tuo digito scripturam, Christe, salutis,
In terra cordis, commiserate, mei.

Dñica IV. dicta Lætare. Quinq; panes. Ioan. 6.

Lætamur saturi Diuinis panibus, atque,
Quòd sis omnipotens, discimus, atq; bonus.

Feria II. Domus Dei. Ioan. 2.

Non vis vt tua, Christe, domus spelunca latronum
Extet, sed laudis sit locus illa tuæ.

Idem ad Christum.

Eiicis è templo, iustam commotus in iram,
Vendentes homines vendibilesq́; boues.

Idem

Quid faceres, si nunc mores hominesq́; videres
In templis, Christe, ô verbera quanta dares.

Feria III. Doctrina Christi. Ioan. 7.

Non mea quam doceo, patris at doctrina iubentis;
Quam spernens, patrem spernit habere Deum.

Feria IV. Cæcus natus. Ioan. 9.

Das oculos cæco nato, pie Christe: creatrix
Hæc virtus, verum te probat esse Deum.

Feria V. Adolescens rediuiuus. Luc. 7.

Non vox, sed lacrymæ matris meruêre, priori
Te reddi vitæ, restituiq́; tuæ.

Feria VI. Lazarus quatriduanus. Ioan. 11.

Dilectus tibi Christe, tua qui voce vocatus,
Lazarus, è tumulo quatriduanus adest.

Sabbato. Lux mundi Christus. Ioan. 8.

Lux mundi Christus, quam qui cognoscere non vult:
Hic omni, æternæ lucis, honore caret.

Dominica Passionis. Sermo Christi. Ioan. 8.

Sermonem Christi, si quis seruauerit, ille
Æternæ vitæ, præmia larga feret.

Feria

Feria II. Fons viuus Christus. Ioan. 7.

Stat Christus clamans, seipsum sitientibus offert:
Fons viuus viuas suppeditabit aquas.

Feria III. Hora Christi. Ioan. 7.

Hora crucis nondum venit tibi, sed venit hora,
Adduces quam tu sponte, lubensq́ tibi.

Feria IV. Vnde Christus? Ioan. 10.

Vnde siet Christus, rogitas quid perdita turba?
Facta vide, dices protinus esse Deum.

Feria V. Magdalena pœnitens. Luc. 7.

Cerne typum veri, post facta indigna, doloris:
Spectator vacuus, neue diù esse velis.

Ad Christum.

Felix peccatrix, cui tu sua crimina flenti
Indulges, simul & Christe patronus ades.

Verus pudor.

Quem pudet interiùs, quæ fecerat ante, malorum.
Ista fateri, non hunc pudet exteriùs.

Feria VI. Consilium contra Christum. Ioan. 11.

Ne pereas gens cæca, paras nece perdere Christum,
Sed tamen, & grauiùs, peiùs &, inde peris.

Sabbato. Claritas filij. Ioan 12.

Clarificat te nate Pater, tua lumina pandit;
Et tua paßio, crux, quid nisi lumen erit?

Ad Christum de cruce.

Crux tua mî lux est, mî lux tua in omnia dux sit,
Christe mei cordis spes, vigor, auxilium.

Dñica Palmarum. Hebdomada Sancta.

Ingreditur, populo & pueris praeeuntibus, vrbem
Rex, asino vectus, rex benedictus ouans.

Feria II. Vnguntur pedes IESV. Ioan. 12.

Inuidet vngnentum pedibus, fur Iuda, magistri,
Pauperibus, fur sic esse patronus amat.

Fer. III. Gloria nostra in cruce Christi. Gal. 6.

Crux tua Christe, salus, vita est, & gloria nostra:
Hanc igitur propter, mî pius esse velis.

Fer. IV. Omne genu adorat Christum. Phil. 2.

Omne genu cœli, terræq́ue, Erebiq́ue furentis,
Flectitur, ad IESV nomen honorificum.

Feria V. Magna. Cœna Domini.

Corpus Christe tuum, nobis in pignus amoris
Donasti: tibi quid redditur æquiualens?

Feria VI. Magna. Parasceue.

En moritur iustus, ne nos moriamur iniqui:
Vnica pro cunctis hostia criminibus.

Sabbatum magnum.

In tumulo recubans, regnas cœlestibus oris,
Rex cœli & terræ; mox rediuiuus eris.

DOMI-

Deuicto Sathana, peccato, morteq́ dira:
In vitam, è tumulo, lux mea Christe redis.

Feria II. Emaus. Lucæ 24.

Discipulis sese Dominus sociare duobus
Non dubitat, dubios dum nihil esse cupit.

In idem.

Itur in Emaus: sermoni Christe duorum
Interes; ô de te, quàm vtile colloquium est.

Feria III. Pax vobis. Lucæ 24.

Discipulis Christus dat pacem, à morte resurgens:
Qui verè capit hanc, ille beatus erit.

Aliud.

In medio Christus, medio pax ipsa locatur:
Pax erit in medio, hanc si mediator habes.

Feria IV. Piscantur. Ioan. 21.

Discipulis se iterum Dominus piscantibus offert:
Hi versantur aquis, littus at ille tenet.

Feria V. Maria plorabat. Ioan. 20.

Ploratus geminans perstat, tumulumq́ reuisens,
Est Maria Angelico dignior alloquio.

Feria VI. Ministerium. Matth. 26.

Discipulis datur à rediuiuo, magna potestas:
Clara in Diuinis, exprimiturq́ Trias.

Sabbatum. Currunt duo. Ioan. 20.

Ambo simul currunt, prior adfuit ipse Ioannes,
At prior in tumulum Petrus amicus iit.

Dñica Conductus Paschæ. Ioan. 20.

Per mare transuectos, donas statione quieta,
Et nostram firmas, tu bone Christe, fidem.

In idem de Albis.

Albos efficiunt animos, tua dogmata Christe:
Quæq; fuêre priùs tetra, cauere iubent.

In idem ad Christum.

A te iustitia est, à te mihi candida vestis
Reddita, te precor hanc da pie, ne maculem.

Dom. II. Pasche. Pastor bonus Christus. Ioan. 12.

Ille bonus pastor, pro ouibus qui mortuus vnus:
Quis pastori isti par similisq; fuit?

In idem.

Non propriæ, ast ouium studet inuigilatq; saluti,
Qui bonus est pastor; nec timet ille lupos.

Dñica III. Paschæ. Visio Christi. Ioan. 16.

Gaudia promittit sine fine manentia, Christus,
De reditu celeri certificatq; suos.

Dñica IV. Paschæ. Cõsolator Spirit⁹ S. Ioan. 16.

Consolatorem promittis ad omnia, Christe,
Spiritum, Apostolico verus amansq; gregi.

Dñica

Dñica V. siue Rogationum. Ioan. 16.

Quod petimus patrem, dabit hoc in nomine Christi:
Ast opus est firma, nec titubante fide.

Aliud.

Si verè orabis, tibi nulla petita negentur:
Quomodo commoda sint, eq; salute tua.

Feria . Rogationum.

Vis dare cuncta tuis, sed amas, Deus, alma rogari,
Blandiris natis, mater vt ipsa solet.

Feria III. 1. Petri 4.

Consociari opus est Christi cruciatibus, vt sit
Illius in cœlis gloria parta tibi.

Vigilia Ascensionis Dñi. Mar. 16.

Vltima lux hæc est, qua Christum conspicit orbe hoc:
Cras iam, syderæi scandet ad astra poli.

ASCENSIO DOMINI. Marci 16.

Hic scopus est Christi, cunctorum hæc summa laborũ,
Monstrare in cœlos, quod gradiamur, iter.

Aliud.

Quò sit scandendum, Dominus monstrauit IESVS:
Quo pacto, hoc propriis moribus exhibuit.

Ascensio nostra.

Mens trahit in cœlos, caro terrea tendit ad ima:
Elige cui dicas, tu mihi sola places.

Aliud.

Aliud.

Mens cœli ciuis, caro terrea, terreus hoſpes:
Elige quam caueas, quamq́ʒ ſequâre libens.

Aliud.

Qui ſequitur mentem, ſublimia ſydera ſcandet,
Corpore qui victus, tartara in ima ruit.

Aliud de carne ſola.

Mancipium ſi vis carnis, traderis auerno:
Si victor carnis, cœlica regna petes.

Aliud de mente ſola.

Cùm ſimile ad ſimile, et Deus, et natura trahat: mens
Cur veniens cœlo, non petat illa polos?

Aliud.

Mens cœlo venit, mens ergo tota feratur
In cœlum, & ſecum viſcera noſtra ferat.

Dñica infra octauã Aſcenſionis Dñi. Ioan. 10.

Promiſſum Christi ſolenne, inſigneq́ʒ miſſum;
Sedibus è ſummis, munera ſumma pete.

DOMINICA PENTECOSTES. Ioan. 14.

Sermones ſeruare Dei, dilectio Christi eſt,
Maxima ſunt cuiuis præmia, ſummus honor.

Fer. II. Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3.

Quod poteras nobis dare maius pignus amoris,
O Deus! ô ſummo dignus amore coli es.

Aliud.

Aliud.

Te sobolemq; tuam Pater, ô spiramen & almum
Das, poteras maius splendidiusq; nihil.

Feria III. Ingressus in ouile. Ioan. 10.

Si non fur, non latro voles in ouile venire;
Sed Pastor: foribus, non aliunde veni.

Feria IV. Quis venit ad Christum. Ioan. 6.

Gratia magna trahit cunctos, cui qui hostia pandit,
Is verè tractus, te optime Christe videt.

Aliud.

Tam magnus Christe es, quòd te nisi patre magistro,
Noscere nemo queat, nemo videre queat.

Aliud.

Tam magnus Christe es, quòd te nisi Spiritus intus
Mentibus instillet, cernere nulla queat.

Fer. V. Potestas super lãguores & dęmonia. Luc. 9.

Omnipotens dat virtutem, dat summa potestas
Ecce potestatem, in cuncta maligna, suis.

In idem.

Dæmonas, & morbos, & tristia quæq; fugandi,
Vim dat præsentem, Christus, vt omnipotens.

Feria VI. Virtus ad sanandum. Luc. 5.

Corpora non tantum curat, sed & intima soluit
Corporis atq; animæ; hic est, medicus, dominus.

Sabbato. Socrus Simonis. Luc. 4.

Febris abi, venit en Christus, tibi dira flagella
Incuciet, fugito suadeo, febris abi.

Dñica SS^mæ^ TRINITATIS. Mat. 28.

Tres sunt personæ summæ, virtute sed vna,
Qui mihi sunt vnus, veridicusq; Deus.

CORPVS CHRISTI. Ioan. 6.

Rex, Medicus, Pastor; verè cor, corpora, mentem:
Firmat, sanat, alit; lumine, voce, cibo.

Dñica infra octauas Corporis Christi. Ioan. 6.

Inuitat cunctos ad cœnam, maximus hospes,
Inuenit at paucos, quos sua dona iuuent.

Octaua Corporis Christi. Ioan. 6.

Hosce per octo dies, tu dulces collige fructus:
Qui tibi non octo hinc, mille sed eueniunt.

Dñica III. post Pentec. Drachma. Ouis. Luc. 15.

Perdita drachma forẽ; mala ouis: nisi Christe tuis me
Portasses humeris, in tua tecta pius.

Dñica IV. post Pentec. Piscatio. Lucæ 15.

Te sine proficimus nil, optime Christe, iube ergò
Laxemus verbo retia nostra tuo.

Dom. V. post Pentec. Iustitia vera. Mar. 5.

Iustitiam à nobis cordis, Rex Christe, requiris,
Tollier offensas, litibus absque fori.

Dñica

Dñica VI. post Pentec. Septem panes. Mar. 3.

Qui Christum dominum, vel per deserta, secuti,
Nunquam mortali deperiêre fame.

Dñica VII. post Pent. Falsi Prophetæ. Mat. 7.

Admonet hîc falsos fugiendos esse prophetas:
Fructibus ex ipsis, quos tibi nosse iubet.

Dñica VIII. post Pentec. Villicus. Luc. 16.

Non tua laudatur fraus, sed prudentia; per quam
Mutandæ sorti consulis, ante diem.

Dñica IX. post Pentec. Fletus Christi. Luc. 19.

Fletus causa tui si sim, bone Christe, ruendo
In vitia; ah pœnas quas ego non merui?

Dñica X. post Pentec. Duo homines. Luc. 18.

Iustus & iniustus, templo sistuntur eodem:
Fidente hoc, lacrymis iustior ille suis.

Dñica XI. post Pent. Benè omnia fecit. Mar. 7.

Aures, os, linguam, medicus cœlestis ab ore
Diuino reparat, omnia recta facit.

Dñica XII. post Pentec. Beati oculi. Luc. 10

Felices oculos, felicia pectora, Christum
Nosse datum quibus est, non titubante fide.

In idem.

Hic cernit Christũ, qui hominemq́; Deumq́; fatetur:
Qui negat alterutrum, mente oculoq́; caret.

In idem.

Credere Christum hominē tantùm, sic nulla fides est:
Cui simul & Deus est verus homoq́ue, sapit.

Dñica XIII. post Pent. Decem Leprosi. Luc. 17.

Dena cohors clamat, lepris infecta, salutem;
Vnus adit medicum; non rediêre nouem.

Dñica XIV. post Pentec. Duo domini. Mat. 6.

Nemo potest dominis pariter seruire duobus:
Elige tu Christum, sic benè diues eris.

Dñica XV post Pent. Naim. Viduæ filius. Luc. 7.

Triste, cohors sequitur vidua cum matre, feretrum;
Ad vitam iuuenem Christe redire iubes.

In idem.

Restituis matri viuum, de funere, natum:
Vnicus hic miseræ nam genitricis erat.

Dñica XVI. post Pentec. Hydrops. Luc. 14.

Christe hominem infectum sanas intercute: mores
Ciuiles etiam, Christe docere soles.

Quatuor tempora Septemb. seu S. Crucis.

Feria IV. Dæmoniacus. Mar. 9.

Dæmon; te frangunt ieiunia sancta, precesq́ue:
Vinceris his armis, instituente Deo.

Feria VI. Mulier pœnitens. Luc. 7.

Quæ pedibus Christi lacrymas, & sparsit odores
Vnguenti, rediit iustificata domum.

In Pha-

In Pharisæum.

Iustitiam Pharisæe tuam reprehendit, amicus
Iustitiæ veræ, & redditor eius amans.

Sabbato quat.temp. Ficus & mulier. Luc. 12.

Hei mihi, quàm in cassum ficulnea nostra laborat:
Nil rectum in nobis, te sine, Christe Deus.

Dñica XVII. Præcepta caritatis. Mat. 22.

Dilige toto animo Dominum, fratremq; velut te:
Crede, tibi magnæ legis id instar erit.

In idem, de captiosis quæstionibus.

Captio nulla valet, contra te Christe, nec vllum
Consilium, aduersus te, valet ire, Deum.

Cuius filius Christus? Dauid. Quare dñus eius?

Christus progenies Dauid? Dominus simul: Vnde hoc?
Filius est vt homo est: vt Deus, est Dominus.

Dominica XVIII. Paralyticus. Mat. 9.

Cuiuis peccatum dimitti dicere pronum est,
Sed morbum iussu pellere, Diuûm opus est.

In idem.

Morbos depellis, simul & peccata remittis,
Tranas naue vt homo; sed Deus illa facis.

Dñica XIX. Nuptiæ. Mat. 22.

Despondet Christi sibi dulcem Ecclesiam amicus,
Sponsorum ad sacras approperate dapes.

In idem.

Compello vt venias, compulsum iudico tandem:
Sponte venire decet, cùm prior ipse voco.

Dñica XX. Regulus. Ioan. 4.

Regulus infirmo nato, qua dixit IEsus
Hora, curato; discit abisse febrim.

In idem.

Crede vel absentem Christum, dare posse salutem:
Et pone exiguam, regule parue, fidem.

In idem.

Tu primùm voti compos, pòst facte fidelis,
Jam Christo credis tuq; domusq; tua.

Dñica XXI. post Pentec. Ratio seruorũ. Mat. 19.

Omnia dimisi tibi, nequam seruule: sed tu
Conseruum, ruis, haud commiserate tuum.

Dñica XXII. Numus. Mat. 22.

Non caperis Diuina dolis sapientia: mandas
Quemq; Deo, atq; homini reddere, quæ sua sunt.

Dñica XXIII. Filia Principis, & sanguiflua.

Salua fide est factoq; suo, quæ sanguine manat:
Et pòst, ad vitam mortua virgo redit.

Dñica XXIV. Abominatio desolationis. Mat. 24.

Tristia sic nobis complentur tempora: habebit
Atq; statim, extremum machina tota diem.

S. Bibiana Virgo & Martyr. Decemb. 2.

Mense sacro, haud frustra virgo memoraris honesta:
Mortua pro Christo, es namq; dicata Deo.

S. Barbara Virgo & Martyr. Decemb. 4.

Barbara, Sarmaticis coleris sanctissima terris;
Militibus, nautis, læta patrona manes.

S. Sabba Abbas. Decemb. 5.

Neglecto mundo; te fratribus esse ministrum
Ob Christum facis, ô Sabba beate tuis.

S. Nicolaus Episcopus & Confessor. Dec. 6.

Eximio totus mundi celebraris honore:
Nam miseros nomen tu miserantis habes.

In nomen Nicolai.

Nomine quòd victor populi Nicolae vocaris;
Plurima deuotè subdita turba tibi est.

S. Ambrosius Doctor Ecclesię & Epũs. Dec. 7.

Ambrosi, stillant veram tua scripta salutem,
Atque graui, manant roscida mella, stylo.

Conceptio B. Virg. Mariæ Decemb. 8.

Victrix serpentis virgo sine crimine primo,
Aluo concepta est, Anna beata, tuo.

S. Melchiad. comm. Decemb. 10.

Regalis seruus, Regem venerando Deorum,
Sanguine conspergit, Pontificale decus.

S. Damasus Pap. & Conf. Dec. 11.

Musarum decus, & versus prosæq; peritus,
Damasus; Christi rexit ouile Dei.

S. Lucia Virgo & Martyr. Dec. 13.

Lucia pondus habes, tibi lux clarissima fulsit,
Hinc tibi constanti, nil fera flamma nocet.

Interrogatio.

Quæritur ecquæ res; quia sic immobilis hæres,
Auelli propria quòd statione nequis?

Responsio.

Lucia sum, mihi pondus inest è numine summo:
Virtus me Christi non sinit esse leuem.

In flammas. Interrog. & respons.

Cur cedunt verò mistæ cum sulphure flammæ?
Imperat & flammis spiritus intus agens.

In guttur transfixũ & loquens. Inter. & resp.

Gutture transfixo, sed cur tua lingua prophetat?
Instaurat Christi gratia cuncta potens.

Vigilia S. Thomæ Apost. Dec. 20.

O vigiles simus moneo, dubitatio ne qua
Nos Christo eripiat: præcipitesq; ruat.

S. Tho-

Magnus es ô Thoma, tua plùs dubitatio fecit,
Quàm vel multorum præstitit vlla fides.

Ad eundem.

Dum dubitas, cordis multorum vulnera sanas,
Thoma, & eum Dominum glorificasq́; Deum.

In eundem.

Tu Thoma Dominum rediuiuum à morte negaras:
Pòst, Dominum atq; Deum supplice voce probas.

NATALIS DOMINI. 25.

Omnipotens sermo mundi descendit ad ima:
Terra Deo laudes fer super astra uouas.

In idem.

Conditor æternæ molis, mens summa, videndam
Se dat, in humana carne, tenellus homo.

Tria miracula summa, ex Bern.

Virgo parit: Deus est homo: cor capit ista fidele,
Hæc tria sunt cunctos mira futura dies.

S. Stephanus Protomartyr. 26.

Consequitur Christum Stephanus, vereq́; ministrans,
Re, & verbo; saxis obrutus, astra petit.

Idem ex nomine.

Martyrii primam laudem capit ista corona:
Nam στέφανος *Græcis dicta Corona viris.*

S. Ioannes Euangelista & Apost. 27.

Lux Euangelii, Summi tuba sacra tonantis,
Æternum es, florens, & sine morte, decus.

In idem.

Virgo, Deo carus, Christi Deitatis amicus,
Et Matris custos dignus es esse Dei.

In idem.

Vt Iouis ales, adit forti sublime volatu:
Sic tu inter socios Iane suprema petis.

SS. Innocentes. 28.

Pro puero pueri moriuntur, & ipsa senectus,
Iam posthac, melius nil habitura fuit.

In eosdem.

Infantes Christum morientes ecce loquuntur:
Sæpè alii, multum vociferando, tacent.

S. Thomas Episc. & Mart. 29.

Thoma, almis Domini pro legibus acer ouilis
Certans, martyrium nobile lætus obis.

S. Syluester I. Papa Confessor. Dec. 31.

Te duce Syluester Cæsar dat nomina Christo,
Vrbeq; pelluntur numina falsa Deûm.

NOVVS ANNVS.

Festa Ianuarij. Prima dies.

Prima sequentis adest: Deus ô benedicito primæ,
Vt nobis prosper totus hic annus eat.

De Circumcisione Domini.

Quæ fuit Abrahæ data circumcisio Patri,
Implet eam, magni filius ecce patris.

In idem.

Panis cœlestis, petra conciditur, infans,
Qui fuit Abrahæ sponsio facta priùs.

In idem.

Sic, quia corrupta est generatio tota parentum,
Vulneris hoc signum pars ea carnis habet.

Idem ad Christum.

Circumcisa caro tibi Christe innoxia, primo
Vulnere; pro nostris tradita criminibus.

Idem ad se.

Circumcide meos sensus, mitissime Iesu:
Da mentem castam, pectora munda precor.

SS. Tres Reges Magi. Ian. 6.

Ad summi Regis currunt cunabula Reges,
Quem deuoto animo, muneribusq; colunt.

In idem.

Thure Deum placant, Regem auro, myrrha hominemq;:
Rari homines Domino mystica dona ferunt.

In idem.

Quod patet illud amāt: sed quod latet intus adorant:
In tali forma, quis putet esse Deum?

S. Higinius Papa & Martyr. Ian. 11.

Higinium octauis Papam memoramus eisdem,
Insignem vita, & relligione virum.

S. Hilarius Episcopus & Martyr. Ioan. 14.

Vir præstans Hilari, Pictauûm maxime Præsul,
Pro Christo, scriptis eloquioq́ue, micas.

S. Felix Nolanus Presb. Eod. die.

Felix Nolanus, nulli pietate secundus,
Mirandis fulget, vita animoq́ue bonis.

S. Paulus primus Eremita. 15.

Paule, tibi placuit syluas habitare remotas;
Vt meliùs possis cernere mente Deum.

S. Maurus Abbas. Eod. die.

Maure, crucis laudes mirando carmine pangis:
Nam cruce quid Christi dulcius esse queat?

S. Marcellus Papa & Martyr. 16.

Tristia fata subis fortis, pro nomine Christi,
Marcelle, ô sanctæ relligionis honor.

S. Antonius Abbas. 17.

O pater Antoni, monachorum norma fidelis,
Fortis & inuicti militis arma doces.

Cathe-

Cathedra Romana S. Petri. 18.

Petre, thronum Romæ tibi dat promißio Christi:
Hîc caput imperii totius orbis erat.

S. Pauli commemoratio.

Paule, Petri socium faciunt te semina verbi:
Tu cœlo; is terris; discipulus Domini es.

S. Prisca virgo & martyr. Eod. die.

Prisca, fidem priscam dum virgo tenerrima seruas,
Nec leo te neq; mors surripit vlla Deo.

SS. Maurus, Martha, Audifax, Abacum. 19.

Quattuor intactam seruarunt, te duce magno
Christe, fidem Sancti, ferrum & adusq; rogos.

SS. Fabianus & Sebestianus mart. 20.

Tempore mors diuersa fuit, locus ecce duobus,
Vnus, & vna ædes sacra tributa fuit.

S. Agnes virgo & mart. 21.

Agnes, agnum adamans, teneris perfecta sub annis,
Inuictum à Christo pectore robur habes.

Aliud.

Cedite mortales sponsi, desponsa fidelis
Sum tali sponso, qui sine fine manet.

Aliud.

Æterno sponso, mortales cedite tædæ:
Sola mihi Christus flamma perennis erit.

SS. Vincentius & Anastasius. mart. 22.

Vincenti Hispane, & Persa Anastasie; vobis
Ob vitam & mortem, lux hodierna datur.

S. Emerentiana virg. & mart. 23.

Es merita egregiè Domino, generosa propago,
Agnetis consors, sanguine lota tuo.

S. Timotheus, Episc. & Martyr. 24.

Gentilis pater, at genitrix Iudæa; proinde
Seruisti meliùs feruidiùsq; Deo.

Conuersio S. Pauli. 25.

Conuertit magnum, conuersio rara, magistrum,
Exq; lupo, mitem te benè fecit ouem.

In idem.

Doctus es in cælis, tamen es subiectus in imis,
Instrueret qui te, voce iubente Dei.

In idem.

Discere debueras cœlis, qui deinde futurus
Magnus præceptor totius orbis eras.

In idem.

Excusatus erat Saulus, quia nescius errat:
Ast ego, qui non sum nescius, erro reus.

In idem.

Vnica vox Saulum sternit, te mille Tonantis
Cùm voces pulsent, saxea corda geris.

In idem.

In idem.

Si quid tu ignoras, ſaltim ſine crimine viuas:
Obex cùm abfuerit, lumen adire potes.

S. Policarpus Epiſc. & mart. 26.

Diſcipulus Diui fueras, Policarpe, Ioannis;
Hinc Sathanæ ſobolis ſtrenuus hoſtis eras.

S. Io. Chriſoſt. Epiſc. & Conf. 27.

Aurea verba ſonas locuples, Chriſoſtome, mundo:
Nil ſcriptis poterit dulcius eſſe tuis.

In eundem.

Conueniunt ſcriptis verba & tua facta, Ioannes:
Hoc loquitur tua crux, exiliumq; tuum.

In idem.

Scribendo arguere, haud res eſt operoſa docenti:
Dic tu quod ſentis, quando tyrannus adeſt.

S. Agnes ſecundò. 28.

Vlteriùs non me cari deflete parentes,
In cœlis vita iam meliore fruor.

Feſta Februarij.

S. Ignatius Epiſc. & mart. 1

Ignati, exultas ſæuo frendente leone,
Frumentum Chriſti dum cupis eſſe nouum.

Ad Ignatium Loiolam.

Alter ô Ignati, viuens moriensq; relinquis
Orbi, doctorum millia multa virûm.

Purificatio

Purificat ſeſe virgo, omnis criminis expers:
Legis adimplendo iuſſa verenda Dei

In idem.

Quid tibi cum ritu legis, ſacra virgo, vetuſtæ?
Aſt vbi ſunt culpæ, virgo beata, tuæ?

Reſpondet Virgo.

Implemus legem, non vlla lege coacti,
Vos propter, ſtrinxit quos malè culpa vetus.

Antitheſis.

Quæ non debetis, vos ſic impletis abundè:
Quàm procul à vobis, impia turba ſumus.

S. Blaſius Epiſcopus & Martyr. Feb. 3.

Blaſius, inuerſas curans in gutture ſpinas,
Multa facit, Chriſti nomine, martyr ouans.

S. Agatha virgo & martyr. 5.

Quàm variis, Agatha, es pœnis cruciata tyranni:
Attamen es victrix, numine freta Dei.

S. Dorothea Virgo & Martyr. 6.

Fruſtra Dorotheam Criſta & Caliſta fatigas,
Ad diram, hæc Chriſtum diligit, vſq; necem.

De eadem.

Dorotheæ vitam mortalem ſuſtulit hoſtis;
Sed, duplicis palmæ, præmia læta tulit.

S. Apo.

S. Apolonia virgo & mart. 9.

Dentibus euulsis, crudelibus addita flammis,
Hæc quoque pro Christi nomine virgo, fuit.

S. Valentinus martyr. 14.

Vita Valentinum commendat sancta, Deoq;
Per ferrum, tandem morte, dicata fuit.

SS. Faustinus & Iouita fratres, mart. 15.

Brixia, Faustinum & Iouitam par nobile fratrum,
Edidit in Christi candida martyrium.

S. Simeon Episcopus & mart. 18.

Filius hic Cleophæ, Solimorum Præsul in vrbe,
Grandæuus Christi sustinet ecce crucem.

Cathedra S. Petri Antiochiæ. 22.

Prima Cathedra tibi fuit Antiochica, Petre,
Qua bene fundata, Romula castra petis.

Vigilia S. Mathiæ. 23. vel 24.

Ne malè pastores mittant in ouilia Christi;
Suadeo Pontifices aduigilare bonos.

S. Mathias Apostolus. 24. vel 25.

Excusso Iuda, Mathias munera sumit,
Dignus Apostolicum lectus ad officium.

Festa Martij.

S. Thomas de Aquino. Martij 7.

Sancta pudicitiæ virtus & gratia cœli,
Contulit ingenij plurima dona tibi.

Comemoratio SS. Perpetuæ & Felicitatis.

Christus, Felici felicem, perpetuam dat
Perpetuæ vitam, sertaq; mista rosis.

SS. Quadraginta Martyres. 9.

Ianitor & Melython, reliqui simul octo triginta,
Martyrio forti, sustinuêre necem.

S. Gregorius Papa & Confessor. 12.

Gregorius vigilare iubet, pastorq; paterq;:
Quis non pastorem hunc audiat atq; patrem?

In idem.

Gregorius, pueros docet auscultare Magistris,
Artibus & doctis inuigilare simul.

In idem.

Gregorius, rector pastorum est atque magister,
Forma sacerdotis Pontificisq; boni.

S. Iosephus sponsus B. MARIAE Virg. 19.

Sunt tibi virginei concredita dona pudoris,
Sancte Ioseph, magni conscie consilij.

Aliud.

Virgineos mores, vultum, innocuumq; pudorem,
Tu spectata tibi sancte vir vnus habes.

Aliud.

Quæ Genitrix Virgo mansit tibi credita soli, est
Arcani testis maxima consilij.

S.Be-

S. Benedictus Abbas. 21.

Sublacus est testis, quàm verè cuncta relinquis,
Et solum Christum, quàm Benedicte tenes.

Annunciatio B. Mariæ Virginis. 25.

Virgo salutatur, Mater Christi alma futura,
Cœlitus: Angelico digna ministerio.

Ad Beatam Mariam.

Te pater vt sponsam, te matrem natus adoptat,
Spiritus at, templum te iubet esse suum.

Aliud.

Sponsa patris, genitrix nati, sacriq; cubile
Flaminis es facta, ô Virgo Maria simul.

Festa Aprilis.

S. Franciscus de Paula. Aprilis 2.

Alter Franciscus: Minimorum Regula fratrum,
Paula, tuum decus hic, ciuis & eximius.

S. Leo PP. & Confessor. 11.

Edidit ingenuum quem Hetruria clara Leonem,
Magnus erat: dictus nec malè primus erat.

Idem.

Hostes eloquio, hæreticos pietate repreßit,
Hic Leo, felici rexit ouile manu.

SS. Tiburtius, Valerianus, Maximus. mart. 14.

Egregii fortesq; viri, Valeri, & Tiburci,
Maxime; lux vestro hæc est data martyrio.

S. Anicetus P. & Martyr. 17.

Anicete tibi, Vero, Marcoq; gerente
Imperium, offertur gloria martyrij.

SS. Sother & Caius Papæ & martyres. 22.

Sother cum Caio, postquam te Christe professi
Sunt verbis, vita: morte quoq; istud agunt.

S. Adalbertus Poloniæ Patronus. 23.

Cæsus Adalbertus Sudaui, vbi succina tollunt,
Dum Christi numen prædicat atq; fidem.

In idem.

Hîc vbi Lochstetum est, Prussorum gens fera, remis
Cædit Adalbertum Præsulem, ad vsq; necem.

S. Georgius martyr. 25.

Fortis eques, pro virginea feris ense draconem
Vita: pro sancta relligione cadis.

S. Marcus Euangelista. 25.

Marce Euangelij scriptor succincte, Leonis
In forma: Venetis splendida cuncta facis.

SS. Cletus & Marcellinus Papæ & Mart. 26.

Clete salutem dans, tu Marcelline Tyrannum
Incusans, Christi nomina morte luis.

S. Vitalis mart. 28.

Geruasi Protasiq; pater, Vitalis; & ipse
Ad Christum martyr pergenerosus abit.

S. Petr.

Tu Petre, pro fidei merito, tibi quæ integra semper
Extitit, in cœlos ense peremptus abis.

Festa Maij.

S. Philippus & Iacobus Apost. 1. Maij.

Prima dies Maij, vos sancte Philippe Iacobe,
Et vestros actus, commemoratq; necem.

S. Athanasius Episcopus & Conf. 2.

Malleus Hæreseon Athanasius optimus, acer
Prælia pro Christi dum Deitate gerit.

Inuentio S. Crucis. 3.

Quæ defossa fuit non paruo ignobilis æuo,
Christe Deus tua crux eruitur tenebris.

In idem.

Obruta quæ ignotis iacuit Crux lignea terris,
Est inuenta, suum consequiturq; decus.

Ad crucem.

Lignea tu quamuis, omni es preciosior auro,
Crux bona: quâ nobis vita parata fuit.

De Helena.

Maxima laus Helenæ quæ lignum hoc repperit: ecce
Quàm precium mundi sic renouauit amor?

Commemoratio Sanctorum eadem die.

Vos Domini sanctos, luce hac memoramus eadem,
Præsulem Alexandrū, cum Theo. Euent. Iuuenal.

S. Monica vidua. 4.

Tu verè Monica, & natum generando secundò
Christo, & nos famulos sæpè monendo tuos.

S. Florianus mar. Patron. Polon. eod. die.

Floridus es Ianus miles fortissime Christi,
Stinguens flammarum tristia damna, manu.

S. Ioannes Euang. añ portam Latinam. 6.

Tu puer incolumis frixoria suscipis, atq;
Pro Christo illæsus, dira venena bibis.

S. Michaëlis Archangeli apparitio. 8.

Militiæ Princeps Michaël, fulgentibus armis,
Protegis à stygio victor ouile lupo.

S. Stanislai Episc. & Mart. Patr. Polo. eod. die.

Audacis Regis, Præsul, conciditur ense,
Cuius componunt membra aquilæ lacera.

S. Gregorius Nazianzenus. 9.

Moribus, ingenio, vita, verboq; styloq;,
Gregorius claret, Graiugenûm in populo.

S. Gordianus & Epimachus mart. 10.

Vos quoque par sanctûm, pro Christi nomine dio,
Hostili caditis victima sacra manu.

S. Nereus, Archileus, & Pancratius mart. 12.

Nereus, Archileus, puer & Pancratius, ô quam
Fortes pro Christi relligione cadunt!

S. Boni.

S. Bonifacius martyr. 14.

Delesti lacrymis culpam, vitamq; dedisti
Christo, sic verè tu benefactor eras.

S. Potentiana virgo. 19.

Praxedis alma soror pia virgo Potentia, egenis
Omnia distribuit, Christe benigne, tuis.

In Pium Pontificẽ & Antoniũ Pium Cæsarẽ.

Et Cæsar Pius, est dictus quo nomine Præsul,
Et pia, quæ seruis sic famulata Dei est.

In idem.

Mitiùs est actum cum cætu Christe tuorum,
Istis nominibus, quæ pietatis erant.

S. Vrbanus Papa & martyr. 25.

Ceciliæ sponsum, tingit lustralibus vndis
Vrbanus, cœlos postea martyr abit.

S. Eleutherius Papa & martyr. 26.

Commodus est Cæsar: Præsul quoq; liber in vrbe est,
Aurea pax tum, inter Christiadas, fuerat.

S. Ioan. Papa & martyr. 27.

Doricus haud Theodoricus es Rex perfide: tollis
E vita immeritum, mox cruciande, virum.

S. Felix Papa & martyr. 30.

Martyriis fauit, quorum & cumulauit honores:
Dignus, qui tandem martyr & ipse fuit.

S. Petro-

S. Petronilla virgo. Maij 31

Eligit ista sibi Christum, Comitiq; negatur,
Filia digna Petro, sic Petronilla fuit.

Festa Iunij.

S. Marcellinus, Petrus, Erasmus, mart. 2. Iunij.

Marcelline, Petre, Erasme, ô quam splendida vestri
Martyrii fertis præmia, quale decus?

Primus & Felicianus mart. 9.

Fratres germana secum virtute corusci,
Post varias mortes, fortiter astra petunt.

S. Barnabas Apostolus. 11.

Fide comes Pauli, tria das Christo omnia lætus,
Martyr, Apostolico & munere fidus obis.

SS. Basilides, Cyrinus, Nabor, & Nazarius. 12.

Basilides, Cyrine, Nabor, Nazari, probata
Est Domino virtus, vestraq; nota fides.

S. Antonius de Padua. 13.

Antoni Fernandus eras: præcepta secutus
Francisci: miri postea nomen habes.

S. Basilius magnus Confess. & Episc. 14.

Tu magni Regis sequeris dum nomina, magnus
Existis, calamo, moribus, ore fide.

Vitus, Modestus, & Crescentia. 15.

Vite puer, clarusq; fide, sociisq; beatus,
In cœlos, Christum testificatus, abis.

SS. Mar-

SS. Marcus & Marcellianus mart. 18.

Fratres Romani, quæ vobis gloria maior,
Quàm ob Christum talem vos subiisse necem?

SS. Geruasius & Protasius mart. 19.

Geruasi & Protasi fratres, cruciatibus ambo
Deuictis, Christo nomina vestra datis.

S. Syluerius PP. & mart. 20.

Ob fidei sanctæ, exilio multatus, honorem,
Augusta, ob furias, ô male sana, tuas.

S. Paulinus Episcopus & Conf. 22.

Doctrina & pietas tua, te Pauline beatum
Efficit, illustre & nomen habere dedit.

Vigilia S. Ioannis Baptistæ. 23.

Dignus es, ô natis hominum qui maior haberis,
Cui detur nox hæc, cui vigilata dies.

S. Ioannes Baptista. 24.

Index & Vates, præcursor, præco, lauator,
Virgo, Martyr, Vox, sponsi & amicus eras.

In Eundem.

Ioannem te quando tui dixêre parentes,
Signârunt, data sit gratia quanta tibi.

SS. Ioannes & Paulus fratres mart. 26.

Dilecti fratres, coniuncti vteroq; fideq;,
Hostia, pro Christo, sic generosa cadunt.

S. Leo secundus PP. & Confessor. 28.

O Leo, Pontificum decus altum, & dulcis alumnus
Musarum, fato sed properante ruis.

SS. Petrus & Paulus Apost Princ. 29.

Principibus terræ concredita ianua cœli,
Iunctus honor, iunctis relligione, nece,

In Eosdem.

Roma duos oculos, queîs totum conspicit orbem,
Queîs cœlum & terras, ordinat, ornat, habet.

Commemo: S. Pauli Apost. 30.

Paule tua est lux hæc, propriè tibi viuere Christus
Atq; mori lucrum, hæc lux benedicta piis,

Festa Iulij.

Visitatio B. Mariæ Virginis. 2.

Alma Dei mater, cùm Virgo salutat Elyßam,
Joannes vetulo paruule ventre salis.

In Idem.

Virgo gerit Dominum: seruum complectitur aluo,
Effœta: at Vates vtraq; facta canit.

In Idem.

Virgo gerens Christum, Ioannem Elizabet, aluo
Clausos: vatidico numine plena canunt.

In Idem.

Matres, vos proles vestræ fecêre Prophetas,
A Christo Domino, gratia tota fuit.

In idem.

In Idem.

Fallitur hæreticus, Mariam dum fraudat honore:
Cùm, voci illius, spiritus almus adest.

Eodem die Processus & Martinianus Mart.

Incustoditos vultis dimittere sanctos,
Et mox, pro Christi cultu & amore mori.

Octa: Apost: S S. Petri & Pauli 7.

Claue polum resera: reseca tu crimina ferro:
A Christo per vos, sic mea certa salus.

In idem.

Pande iter in cælum ferro, fortißime Paule,
Petre sed infernum claude, aperiq́ polum.

Septem fratres filii S. Felicitatis Mart. 10.

Felix prosperitas, natos præmittere Christo,
Post septem natos, vltima mater abit.

S. Pius Papa & Martyr. 11.

Papa pius Martyr, calicis reuerentia sacri,
Marci Antonini Cæsaris, ense cadit.

SS. Nabor & Felix Martyr. 12.

Tu quoq; par felix, Nabor Felixq́ vocati,
Et necis & vitæ præmia suscipitis.

S. Anacletus Papa & Martyr. 13.

Martyr Anacletus meritis illustribus auctus,
Instituit ritus bustaq́ Pontificum.

S. Bonauentura Episc: & Con. 14.

Qui bona venturæ perpendet præmia vitæ,
Hic benè præsentis tristia quæq; feret.

S. Alexius Confessor. 17.

Deserta sponsa intacta, thalamoq; iugali,
Sub gradibus propriæ, stas moreris q;, domus.

In idem.

Fabula fortè tibi, munde, ô res ista videtur,
Cui cælum patria est, terra fit exilium.

In idem.

Ne mirère hospes, iuuenis pernobile factum,
Cui Christus res est, fabula mundus erit.

S. Symphorosa cum septem filiis. 18.

Altera, cum septem natis, interrita mater
Symphorosa, velut fida magistra præit.

S. Praxedes Virgo. 21.

O pia Praxedes, vinctos miserata fouebas,
Consilio, ære, animo, voce, prece ingenio.

S. Maria Magdalena. 22.

Hæc delet lacrymis culpas, dimissaq; luget
Crimina: peccator, cerne salutis iter.

S. Apollinaris Epis. & Mart: 23.

Appollinaris Petrum comitatus ad vrbem,
Post facta egregia, ad præmia cæsus abis.

S. Christina Vir: & Mar. 24.

Christina es Christi quòd serua, en nomine monstras:
O veniam factis obsecro quære meis.

S. Iacobus Apost. 25.

Joannis frater, Zebedæo nate Iacobe,
Nuncius es, Christi nominis, altitonans.

S. Anna. 26.

Anna parens salue sanctæ veneranda Mariæ,
Anna decus nostrum, dulceq; præsidium.

S. Pantaleon. 27.

Eustorgus tota qui vult euadere vita,
Consilium & nomen Pantaleonis amet.

SS. Nazarius, Celsus, Victor, Innocentius. 28.

Nazarius, Celsus, Victor, noxæq; perennis
Expers, nos precibus martyrioq; iuuent.

S. Martha virgo. 29.

Martha, tibi Christi pascendi cura relicta est:
Hospite tu tanto Martha beata nimis.

SS. Abdon & Sennen Mart. 30.

Abdon & Sennen, curantes corpora cæsa,
Vos, pro Christo, eadem iurè corona manet.

Festa Augusti.

Petri Catenæ. 1.

Prima tuas lux hæc celebrat tibi Petre catenas,
Cæsare quàm Augusto, lux ea prosperior.

S. Stephanus Papa & mart. 2.

Altera, Pontificis Stephani quòd ceßit honori,
Martyrii laus hæc quantulacunq; sui est.

Inuentio S. Stephani Protomart. 3.

Tertia lux, Stephanum primùm producit ab vmbris,
Cum sociisq; tribus donat honore loci.

S.Dominicus Conf: author Ord. Prædic. 4.

Qui Domini custos fueras benè consiliorum,
Laudibus alma tuis ista tributa dies.

S. Maria ad Niues. 5.

Sparge niuem, niueasq; iube procedere mentes,
Ad placitum nati, virgo sacrata, tui.

In idem de præsepi.

Hîc præsepe tui virgo est mitißima nati,
In quo mens famuli sæpè sit oro tui.

In Virginem miraculosam.

Non frustra tibi templa tuo de nomine surgunt,
Tot signis etenim nobilitata viges.

Ad eandem.

Exaudis Virgo lacrymas & vota precantum,
Adsis & votis Virgo benigna meis.

Ad eandem.

Perfidus ille Deo, qui te spoliauit honore,
Qui tibi perpetuus permanet, ante Deum.

Ad ean-

Ad eandem.

Non tibi tartareus nocuit plùs ipse Lutherus,
Quàm culicis morsus, rupibus & scopulis.

Ad eandem.

Hæreticus nemo est, nisi qui te primitùs odit,
Nemo perit, nisi te qui periisse velit.

Transfiguratio Domini. 6.

Mutasti humanam, dulcissime Christe, figuram,
Teq; doces verum, lumine, voce, Deum.

SS. Sixti PP. Felicis: & Agapi : Mart: Eadem die.

Lux ea Martyribus tribus est quoq; sacra, ter ipsi
Felici, & Sixto, & dicto ab amore viro.

S. Donatus Episc. & mart. 7.

Donatus, martyr morte est, & Episcopus almo
Officio: collo dura securis adest.

SS. Ciriacus, Sisinius, Largus, Smarag. mart. 8.

Quattuor inclusi sunt fædo carcere sancti,
Cum multis aliis, victima sancta cadunt.

Vigilia S. Laurentii. 9.

O vigilate mei fratres, Laurentius igne
Exustus, felix cras sua dona feret.

S. Laurentius præclarus martyr. 10.

O bone Laurenti, tibi ludus ferrea crates:
Pro Christo, & misces tostus in igne iocos.

In idem.

In idem.

Fortis Laurenti, flammis crudelibus uste:
Vsto, cur tanti non tibi vita tua est?

Responsio.

Flamma mihi Christus, medio sub pectore torrens,
Corq; mihi exurens, mite dat exitium.

Alia.

Præ flamma Christi, mundi non sentio flammam,
Vrit amor Christi, quolibet igne magis.

SS. Tiburtius, & Susanna mart. 11.

Tiburti prunas, virgo Susanna pudorem
Diligis, ô quæ ausis dona parata piis!

S. Clara virgo. 12.

Immeritò non te Claram dixêre priores,
Clara es tu ingenio, virginitate, fide.

SS. Hippolitus & Cassianus mart. 13.

Hippos equus sanis, medica ægris cassia semper,
Vtile seruitium vos quoq;, in arce Dei.

S. Eusebius Conf. 14.

Vel nomen, quis tu fueris monstrabit abundè,
Si mihi mi Eusebi, quod tibi, contigerit.

Vigilia Assumptæ B.V. Mariae Eod. die.

Cras virgo mater cæli migrabit ad oras,
Sanctæ animæ mecum vos vigilate precor,

Assumptio

Quam voluit natus terræ sociam esse malorum,
Consortem hanc cœli, lætitiæq; dedit.

In idem.

Vt varias herbas sapiens Ecclesia sacrat:
Virtutes varias sic pia mater habes.

Octaua S. Laurentii. 17.

Laurenti, octauis tibi cùm celebrentur honores,
Pro meritis tantis laus ea parua tibi.

S. Agapitus martyr. 18.

Est etiam quidam felix Agapetus amore
Dignus, ob excelsi munera martyrii.

S. Bernardus Abbas. 20.

O Bernarde Abbas quis te felicior vnquam?
Castus es, & doctus, plenus amore Dei.

Octaua Assumptionis B. Mariæ Virg. 22.

Non octo sed mille tuo largimur honori,
Virgo potens, luces laudibus eximiis.

Timotheus, Hippolytus, Symphorian. Eodem die.

Gratia magna tribus vobis ô pectora sancta,
Quòd placuit vobis, hunc celebrare diem.

Vigilia S. Bartholomæi. 23

O socii & fratres vigilate ad facta stupenda,
Cras pelle extracta Bartholomæus erit.

Verba damus tantùm: tu rem: nam sancte dedisti
Pro Christo pellem Bartholomæe tuam.

In idem.

Sensus abest homini si quis non horreat, iste
Sanctus, quàm immani morte peremptus obit!

In idem.

Verè non pro homine hæc Christo tolerastis amici,
Verùm pro æterno & præmia dante Deo.

S. Ludouic: V. Rex Galliæ. 25.

Regia, crede mihi, res est contemnere mundum,
Atq; Dei totum laudibus esse datum.

S. Zepherinus PP. & mart. 26.

Tum lenes Zephyri spirârunt numinis alti,
Pro Christo in cœlos cùm Zepherinus abit.

S. Augustinus Episc: & Conf. 28.

Augustine tuas laudes quis differet vnquam?
Doctrinæ sacræ nobile præsidium.

S. Hermes martyr, Eodem die.

Herme Mercurio sapiens Ecclesia gaudet,
Forma datus tanti tanta magisterii.

Decollatio S. Ioannis Baptistæ. 29.

Tam clarè natus, tantùm celebratus ab alto
Numine, pro vili sic meretrice peris!

In idem.

Tota silet mundi sapientia, cùm videt ista:
Iustos atq; bonos cùm mala fata premunt.

In idem.

Sed sic est mundi sapientia tota subacta,
Vt placeat nunquam, quod probet ille, Deo.

In idem.

Certa manet cœlis conclusio: præmia iustis
In cœlo veniunt, sic tribuente, Deo.

In idem.

Frustrà est his terris, rerum spes fixa tuarum,
Hospitium cœlum, terra dat exilium.

S. Sabina mart. Eodem die.

Clara viro, illustrisq; tuo de sanguine, cuncta
Pro Christo temnis clara Sabina Deo.

SS. Felix & Adauctus. 30.

Felices ambo, Christi cumulastis honorem,
Vita alia est vobis, sors fuit vna necis.

Festa Septembris.

S. Ægidius Abbas. 1.

Cerua alit Ægidium in syluis, sed odora canum vis
Dum fugat hanc, latitans non latet Ægidius.

In idem.

Nutrix Ægidio cerua est: cur ergo timemus,
Ne in sylua fame nos Christe perire sinas?

Commemoratio XII. Frat. eodem die.

Bis sex sunt fratres pro Christi nomine passi,
Cernis, vt vna sint pectora iuncta fide.

In idem.

Hæreticum si tu flammis addixeris vnum,
Spero dabit subitam tota caterua fugam.

Natiuitas B. M. V. 8.

Anna parit natam, in multam prouecta senectam,
Quæ genitrix Christo virgo dicanda fuit.

In idem.

Frons antiqua edit florem, parit Anna Mariam,
Dulcis ab hoc fructus flore salutis adest.

In idem.

Salue quæ generas, & quæ es generata parente hac,
Anna paris Mariam, gratia sic dominam.

In idem.

Anna mihi domina es, triplici nam nomine gaudes,
Anna: precor: mater: gratia: cuncta tenes.

In idem.

Edita quæ in mundum est hodie felicibus astris,
Edidit hæc, salua virginitate Deum.

In idem.

Plantula cœlestis, Virgo lectißima salue,
Salue virginei, gloria summa, chori.

In idem

In idem.

Intemerate venis de tali floſcule fronde,
Vnice de tali floſcule fronde venis.

Quæſtio de ſex feriis.

Cur ſex ecce dies tibi tanta ſilentia ſeruant,
Virgo natales ante beata tuos?

Reſponſio.

Secula ſex mundi ſimilem quia nulla dederunt,
Atq; illi ſimilem ſecula nulla ferent.

S. Adrianus mart. commemoratur eodem die.

Colligit extremasq́; manus perfractaq́; crura,
Fida vxor thalamis ô Adriane tuis.

In idem.

Fida tuo thalamo coniunx, ô maxime Martyr,
Et vitæ, & mortis tempore fida comes.

S. Gorgonius mart. 9.

Felix es Gorgon, quòd te natalibus aſtris
Aſſerit en Mariæ gloria martyrii.

S. Nicolaus Tolentinus. 10.

Sanctus de ſancti vitaq́; & nomine natus,
Relligionis apex mî Nicolaë micas.

SS. Protus & Hyacinthus. 11.

Prote, Hyacinthe, duos lux iſta ſerenat amicos,
Eugeniæ eunuchos Virginis eximiæ.

Cosdroë deuicto felix Heraclius, almam
Vindicat ecce crucem, restituitq́; loco.

In imperatorem rigentem.

Portantem hoc lignum te Cæsar purpura vestit:
Christus spinosum sed diadema gerit.

Ad eundem.

Non habitu hoc Christus montem scandebat anhelus,
Cæsar, cum Domino paupere, pauper abi.

In idem ad quemlibet.

Quàm malè progreditur, qui non imitatur euntem
Christum: tu ergo ipsum quantùm imitare potes.

Octaua Natiuitatis B. V. M. 15.

Lux octaua meam refricat mihi læta coronam,
Letitiæ matrem, quam colo, quam veneror.

SS. Cornelius & Cyprianus Pont. mart. 16.

Corneli cum Cypriano venerandus vterq́;,
Pectore magnanimo læta trophea subis.

SS. Euphemia, Lucia, & Geminianus, Eodem die.

Est bona fama, tuis Euphemia Virgo, relicta,
Cum Lucia meritis Geminiane simul.

S. Ianuarius cum sociis mart. 19.

Præsul amans Christi, sociisq́; fidelibus auctus,
Ense cadis; Latio, Graio & in orbe, micas.

S. Eustachius cum vxore & filiis. 20.

Eustachi, cum vxore pia natisq; duobus,
Pro Christo fertis nobile martyrium.

Vigilia S. Matthæi Apost: & Euang. eodem die.

Omnia linquentem cras te, Matthæe, videbo;
Vt famulus Christi pauperis esse queas.

S. Matthæus Apost: & Euang. 21.

Felix qui sequeris Christum Matthæe vocantem,
Quem lingua, calamo, martyrioq; colis.

S. Mauricius cum sociis mart. 22.

Fortis Maurici, sociis cum fortibus, armis
Victima depositis quàm numerosa cadis!

S. Linus PP. & Martyr. 23.

Line pater, Petri tibi cessit prima cathedra:
O quàm hæc multorum sanguine tincta fuit!

Commemoratio Teclæ Virg: & mart:

Tecla, Patres sancti clarè tua nomina pangunt,
Post varias mortes, longa senecta tibi est.

SS. Cyprianus & Iustina, mart. 26.

Cyprides miserum magicis te addixerat: at te
Justinæ vicit sponsus amore Deus.

In idem.

Hic insanus amor, sancto est mutatus: & ambo
Pro Christi casta relligione cadunt.

In idem

In idem.

Nil agis ô Sathana, ridet Iustina fidelis,
Teq́;, tuasq́; artes, tendiculasq́; tuas.

In idem.

Victus es ô serpens veterator, virginis arte,
Quin magus ipse tibi præda petita perit.

SS. Cosmas & Damianus mart. 27.

O Arabes medici, mihi vos medicina salutis,
Cùm specto vestram sanguinem ad-vsq́; fidem.

Translatio S. Stanislai Episc. & mart. Eod. die.

Stans Laus tu Martyr seclis memorabêre totis,
Vistula Sarmaticis dum fluit amnis agris.

In idem.

Hac luce, è cædis tumulo translatus in arcem
Gracchi, Stanslaus nobile corpus habet.

S. Vencessaus martyr. 28.

Fraterno cæsus gladio innocuusq́; piusq́;,
Dux Bohemorum, Vencesilaus obit,

S. Michaël Archangelus. 29.

Pro sacro Michaël pugnas fortissime ouili,
Ne Stygius sanctum vastet ouile Draco.

S. Hieronymus Doctor Ecclesiæ. 30,

Presbyter insignis, Doctor, summusq́; magister
Hieronymus, magnos maximus inter adest.

In eun-

In eundem.

Illyrius noster Slauonæ gloria gentis,
Doctorum lumen, forma, columna, decus.

Festa Octobris.

S. Remigius. Confes. Prima Octob.

Remige te, Christi portum gens Galla subintrat,
Lotus fonte sacro, cùm Clodoueus erat.

S. Franciscus. Confes. 4.

Oblito Christi Franciscus mittitur orbi,
Vt renouet mundo stigmata Christe tua.

In idem.

Franciscus Christum sequitur de diuite pauper,
Cuius in orbe nouat, stigmata mortis amans.

In idem.

Pro patre, proq; domo, pro mercibus ecce relictis,
O quàm ampla in cœlo præmia consequeris!

In idem.

Fonte velut paruo se maxima flumina pandunt,
Sic patre sanctorum hoc millia multa virûm.

S. Marcus Papa Conf. 7.

Marce, fidem Christi præclaris rebus adornas,
Constantine tuo magne sub imperio.

Comm. 4. mart. Sergii, Bachi, Marcelli, Apuleii.

Bis duo sunt pro te paßi quoq; summe magister
Discipuli, quos nunc lux ea commemorat.

Discipulo Pauli tenebroso è lumine docto,
Parrhisiis sacrum tollitur ense caput.

Idem.

Tollitur ense caput, manibus sed fertur ab ipsis
Eiusdem, ad tumuli millia bina locum.

In idem.

Areopagus erat quondam celebratus Athenis,
Dionysi tuo plus sed honore viget.

In idem, de Ecclipsi Solis extraodinaria.

Ecclypsim solis morientis tempore Christi,
Mirandam obseruas primus, & alta stupes.

Idem.

Conditor vt solis patitur, sol lumina condit,
Naturæ aduertis vir bone iura pati.

Idem.

Frustra sol lucet, si non illuminet intra:
Obscurant veram crimina falsa fidem.

Adhuc de portatili capite.

Abscissum ense caput duo passus millia portas;
Credo, lego ingenii cùm monimenta tui.

S. Calixtus Papa & martyr. 14.

Magne Calixte, sacros quaterno tempore fastos
Instituis, celebrem martyribusq; locum.

S. Lucas Euang. 18.

O Luca, & medice, & ſcriptor pictorq; ſacrorum,
Mortificatæ crucis viuus honore manes.

S. Heduigis Poloniæ Dux ſancta. 15.

Virgula Sarmaticæ Heduigis clariſſima terræ,
Gloria fœminei, normaq;, lexq;, chori.

S. Vrſula cum XI. mil. virg. mart. 21.

Vrſula virgineas ducens animoſa cohortes,
Sumitur in thalamos cœlice ſponſe tuos.

S. Hilarion Abbas, eodem die.

Sunt hilares, quicunq; Deum ac præcepta ſequuntur
Illius, & ſyluis triſtia nulla ferent.

SS. Chriſantus & Daria mart. 25.

Hoc mihi connubium felix, vbi iuncta voluntas
Viuere pro Chriſto regibus, atque mori eſt.

S. Euariſtus Papa & martyr. 26.

Optimus & benefactor eras Euariſte, Cathedra
Sancta, tuis aucta eſt moribus atq; fide.

Vigilia SS. Simonis & Iudæ Apoſt. 27.

O vigilate mei fratres, vigilate ſorores,
Vos Iudæ moueat littera terribilis.

SS. Simon & Iuda Apoſt. 28.

Lux ea vos celebrat, quia vos celebraſtis eandem,
Scriptis, eloquio, relligione, nece.

Vigilia SS. Omnium. 31.

Sanctorum quicunq; Dei consortia vultis,
Sanctorum exemplis inuigilate precor.

Festa Nouembris.

Festum Omnium Sanctorum. Prima dies.

Festum festorum, quo cœli curia tota,
Cum rege æterno, laudis honore nitet.

Animæ fidelium. 2.

Felices animæ, quæ sic superastis auernum,
Sperantes almum semper adesse diem.

Commemor. SS. Vitalis & Agricolæ. 4.

Cum seruo Dominus Christū ad tormenta fatentur,
Hic seruus domino causa salutis erat.

Octaua Omnium Sanctorum. 8.

Lætus in Octaua numerus renouatur honore
Sanctorum, quibus est vita beatifica.

Commem. 4. Coronat: mart.

Quattuor ignotis Christo dant nomina summo
Nominibus, tamen his certa corona polo est.

Dedicatio Basilicæ Saluatoris. 9.

Fonte sacro Cæsar lepras & crimina tollis,
Et Saluatori das tua templa Deo.

In idem.

Magnificum templum pro magno munere reddis
Conſtantine, anima carneq; ſalue tua.

Commem. S. Theodori mart.

Militis audacis dextram fortemq; potentis,
Te famulum Chriſti hæc lux Theodore colit.

SS. Triphon, Reſpicius & Nympha mart. 10

Triphon Reſpicio comite & cum Virgine Nympha,
Pro Chriſto cæſi, cælica regna petunt.

S. Martinus Epiſc: & Conf. 11

Vir bonus, & Chriſto fidus, ſanctusq; ſacerdos
Martinus, ſacrûm regula Pontificum.

In idem.

O felix anima, & multis prælata beatis,
Lux, mel, dulcedo, Pontificale decus.

Commem. Mennæ martyr.

Mennas ab Ægipto miles gentilia taxans
Sacra, ſubit variis mortibus ille necem.

S. Martinus Papa & martyr.

Ærumna confecte graui Martine, quieſcis
In Chriſto, eius res fortiter acta fuit.

S. Gregorius Taumaturgus Epiſ. & Conf. 17.

Mirificus pater extiteras, & nunc quoq; multos
Inſtruis, indubiam cum pietate fidem.

Dedicatio Basilicarum Petri & Pauli Apost. 18.

Ædificat Cæsar, Petro Pauloq́; dicandas
Ædes, deuota pignora grati animi.

S. Elizabeth Patrona Poloniæ. 19.

Virgo gerens animo Christum, sic nupta pudica,
Sic vidua es, summo tota dicata Deo.

In idem.

Mitis Elisabeth à teneris, mundi omnia linquens:
Paupere cum Christo, viuere amasq́; mori.

In eandem.

Non te maiestas, nec clarum nomen auorum,
Sed nec opes, Christo te eripuêre tuo.

S. Pontianus Papa & mart. Eod. die.

Insula pestiferi patiens contagia morbi,
Pontiane tuo panditur exilio.

Præsentatio B. M. Virginis. 21.

Præsentata Deo virgo es benedicta triennis,
Sic ipsis gradibus, quanta futura, doces.

In idem.

Cor, mentem, corpus, totumq́; quod esse feraris,
In cunctos, Domino dasq́; dicasq́; dies.

In idem de se.

Nemo essem, nisi me miserum, noxasq́; perennes
Templis præsentem, liminibusq́; Dei.

Ad vir-

Ad Virginem Mariam pro se.

Præsenta lacrymas, studium, & quòd velle tueris,
Ante oculos nati virgo beata tui.

S. Cæcilia virgo & martyr. 22.

Cæciliam Angelici comites, conuersio sponsi,
Tyburtiq; simul vitaq; morsq; canunt.

S. Clemens Papa & mart. 23.

Fontem aperis Clemens, Agnum asseris, anchora collo
Innexa est, medio mergeris atq; salo.

Commemor. S. Felicitatis cum 7. filiis mart.

Felix hæc genitrix, quæ septem pignora mittit,
Sese ante in cœlos, vltima consequitur.

S. Chrisogonus mart. 24.

Chrisogone, angulus es Christi aureus atq; quadratus,
Ascia, pro cuius nomine, colla ferit.

S. Catharina virgo & mart. 25.

Magnanima, & docta, & sapiẽs Catharina, perennẽ
Et fidei laudem, & virginitatis habes.

Ad eandem.

De collo execto, tibi lac pro sanguine manat,
Hæc etiam innocui signa pudoris erant.

S. Petrus Alexandrinus Episc. & mart. 26.

Petre doles, Christi quod vestis scissa fatiscit,
Pòst, capite abscisso, præmia summa capis.

Vigilia

Vigilia S. Andreæ. 29.

Firmat Apostolicum patiens vigilantia munus,
Sponsus adest, omnes nos vigilare decet.

Commemor. S. Saturnini mart.

Hoc Saturnini palmam memoramus ouantes,
Pro Domino passi dira necemq́; die.

S. Andreas Apost. 30.

Primus es Andrea, quem Christus ab æquore mundi,
Ad propriæ transfert dogmata sacra scholæ.

In Idem.

Andream miror præduro stipite fixum,
Fundentem, bidui tempore, dogma sacrum.

Ad eundem.

Quem geris Andrea, crucis in te miror amorem,
Miror honorati flammea verba viri.

In nostram impatientiam.

O quàm nos facilè à Christo resilire solemus,
Si vel nos vnus mordeat ore culex!

Vni Deo honor & gloria.